

hic addit.
μίσρον τῆς
μαλίας
i. in cal-
ditate &
frigida-
te tem-
peratum.
e Meum
cū Ruel.
ιδιόταν i.
φελίκο.
i. sudores
sistit. Sed
Cat. con-
trario i.
φελίκο.
i. elicit:
sed malé.
d Ita Cat.
sed Meū
& Drag.
μαλίας i.
πὸν τῶ
σαρκός,
idque re-
ctius.
e Meum
& Cat.
μίσρον
πύρρον
καὶ τὸν
ἵππον
τῶ πρὸς
ἐνδόν
εἰς φέρον
δυσίκο.
i. ad mel-
lis crassi-
tudinem,
& untori
eandem
enim cū
prædicto
vim ha-
bet.

torum compositionibus idoneum intelligitur. b Stomacho utile est, quod astringat: gingivas contrahit, dentes firmat, si contineatur in ore: c sudores cohibet: quod autem vetustius ac pinguius, eò ad medicamenta aptius est. Et (ut reliqua in commune dicantur) omne oleum calefacit, d emollit ventrem, à perfrictionibus corpus tuetur, ipsumque promptius ad obeunda munera reddit, alvum emollit, ulcerantium medicamentorum vires permistum hebetat: contra venena datur, assidue potum, redditumque vomitionibus: solvit alvum heminae mensura cum pari pitanae succo, aut aqua potum: ad tormina calidum simul decocta ruta tribus sextariis in potu datur, ventris animalia pellit: idem maxime ilei intestini morbo laborantibus infunditur. Verus magis calfacit, & vehementius discutit: oculorum claritati sublitum confert. Si vetusti non sit occasio, in vase decoquitur & ad mellis crassitudinem, ut vetustatem repræsentet.

Ελαιον τῆς ἀγριολίας.

OLEUM SYLVESTRIS OLIVÆ.

CAP. XXIX.

Oleum, quod sylvestres olivæ fundunt, vehementer astringit, & ad sanorum usus secundum sibi locum vendicat. In doloribus capitis utiliter pro rosaceo substituitur: sudores arcet: defluentes capillos inhiat: furfures, ulcera capitis manantia, scabiem, leprasque abstergit: tardius canicem sentiunt, qui eo quotidie perunguntur. Candidum oleum fit hoc modo. Album colore, nec anniculo vetustius, in novum fictile oris patuli funditur, centum heminarum mensura, & sub solem media quaque die concha refunditur, ex altoque demittitur, ut assidua devolutione, istuque agitarum respuer: octava die scænum græcum mundum quinquaginta denariorum pondere, calida aqua madefactum, donec emollescat, in supradictum oleum dejicitur, ita ne extiller aqua: postea redæ præpinguis piceæ, assulatum cæsæ æquale pondus adjicitur, & transactis octo diebus, oleum concha movetur. Ubi candorem contraxerit, in vas novum vetere vino affusum recondi debet, substratis fertulæ campanæ corollis drachmas undecim pendentes, cum pari iridis pondere: sin minus, rursus soli mandandum, & idem munus obeundum, usque dum inalbescat.

Σικυονίου ελαιον.

SICYONIUM OLEUM.

CAP. XXX.

Sicyonii componendi ratio hæc est. In lebetem oris lati, stanno inductum, funditur novi olei albi, quod crudæ olivæ reddiderunt, congruus unus: aquæ semicongruus. Levi id igne coquitur, leniter movendo: at ubi bis efferbuit, & subtracto igne refrixit, innatans oleum concha decapulatur, & adjecta nova aqua confervescit, & reliquis, ut diximus, peractis reponitur. In Sicyonia maxime fieri consuevit, Sicyonii inde accepto cognomine. Calfactoriam ad quendam usque modum vim habet. Febri ac nervorum vitiis prodest: scæminæ ad commendandum faciei nitorem eo utuntur.

Πύρρον.

STRIGMENTUM.

CAP. XXXI.

Meum &
Drag. cō-
jungunt
hoc ca-
put cum
superio-
ri.

Strigmenta à balneis calfaciunt, molliunt, discutiunt: ad sedis rimas, & condylomata illinuntur. Illa vero, quæ ex palæstris pulverem sibi adsciverunt, in fordibus speciem redacta, articulorum nodos imposita adjuvant: ischiadicis in fotus, aut malagmatis locum, calida commodè sufficiuntur. Dersæ gymnasiarum parietibus simulachrisque sordes, calfaciunt: tubercula, quæ ægrè ad coctionem producuntur, dissipant: desquamatis, & ulceribus antiquis profunt.

Olei cō-
sideratio.

Olei usus
apud ve-
teres.

Multo quidem artificio veteres utebantur ad componendum multifariam oleum, ut ex Dioscoride satis superque constat: quæ tamen hac tempestate à nobis fieri non solet, quamvis fortasse apud Græcos ejusmodi parandi olei consuetudo minime exoleverit. Quippe id tantum in communi omnium usu apud nos habetur, quod è maturis olivis exprimitur: tamen quidam, quod & gustatu jucundius, & sanitati conducibilius sibi oleum comparare velint, id ab immaturis olivis exprimant, quas eo tempore legunt, cum ipsa jam plenè flava & tantillam subrubescere cæperint. Caterum non mirum est, si veteres & illud candidum reddere, & multis parare modis curabant: siquidem non modo in ciborum condimentis oleo frequenter utebantur, sed etiam ut agiliores, promptiores, ac expeditiores evaderent ad obeunda corporis munera, frequentius sibi totum corpus oleo perungebant, quæ de causa & balnea frequentabant, & thermas: namque olei contracta sordes, ut corpora sepius perluerentur, maxime expetebat. Obibat autem id muneris servi in balneis, qui non modo corpus totum intrantibus abluebant: sed & ipsum quibusdam strigilibus abradebant ad hoc opus aptissimum, quas alij ex auro, nonnulli ex argento: quidam ex ferro, aliqui ex ebano, ac etiam ex præclaris lapidibus sibi comparabant, denique pro nobilitate, & facultate eorum, qui ad balnea consuebant. Quapropter dum se in ipsis balneis abradere, sudoremque emanantem detergere curabant, olei strigmenta, quo se prius perunxerant, in balnei aquam decidebant: quorum hic meminuit Dioscorides. Fuit præterea in magno, ac præcipuo usu apud veteres oleum ad perungendos athletas, qui in theatris palæstræ nudi luctabantur, non solum ut eorum corpora agilia, expeditioraque, in certamine redderentur, sed ut etiam si difficiliter sese manibus comprehenderent. Cum autem ibi pulvis ob pedum frequentiore motum comitaretur, athleta ipsi oleo affatim peruncti, illum in se facile contraherant, ac multo magis cum in terram alter alterum consterneret. Quare balneum ingressi, strigilibusque, abradi cænoxa strigmenta relinquebant, quibus artuum affectibus Dioscorides mederi tradidit. Sed cum plurimi athleta oleo copiose peruncti inter luctandum palæstræ parietibus, ac statuis lapideis, sese sepius affricarent, contracta loca olei pinguedinem contraherant, quo facile fiebat, ut adveniente pulvere cænosum quoddam unguen parietibus inhæresceret: de quo etiam Dioscorides disseruit. Oleum, si cum pari portione vini Cretici calidum bibatur, aut Clystere infundatur, colicos, iliacos, & calculosos dolores mirifice mulcet. Olei facultates fusius prosequutus est Galenus lib. vi. de simplicium medicamentorum facult. sic inquit. Oleum, quod ex olivis conficitur, quod sanè propriissimo nomine oleum appellamus, cuiusmodi sit temperatura, superioribus libris definitum est: quippe humectatorium esse, & moderatè calidum ostendimus. Ejusmodi est, quod est dulcissimum, fitque potissimum ex olivis, quas Græci ἁγριολίαν vocant,

Ol. ad
colicos.
Olei fa-
cult. ex
Galeno.

vocant, nos drupas. Caterum quod omotribes, & omphacinum nuncupant, id quantum in se habet adstrictionis, tantum etiam illi inest frigiditatis. Porro oleum vetus, quod quidem ex dulci inveterato efficitur, & calidius est, & magis discus-
sorium. Quod vero ex immaturo, id dum reliquum quippiam servaverit adstrictionis, mista permanet facultatis: ubi
vero illam prorsum abjecerit, reliquo sit simile. Quinetiam quicumque, in preparando germina injiciunt, & ipsi ompha-
cino simile oleum efficiunt. Caterum rogandum non est, quo pacto sit preparatum, sed gustandum est potius: ac si pra se
ferat adstrictionis quippiam, eatenus etiam frigidum esse existimandum, ceu illud, quod ab Iberia portatur, quod Spanum,
id est Hispanicum nominant. Quod si nequaquam gustantibus adstringere appareat, sed adamusim videatur dulce, id
modicè esse calidum putandum. Porro si tenue quoque, cernatur (tale est, quod purum est, quodque, intuenti translucidum
10 videtur) ac modicum ejus latissimè per cutem extensum sibi maneat continuum, celeriterque, a cute combibatur, id utique,
pro optimo ducendum, ac olei virtute quam maximè pollere, quale est Sabinum. Porro quod oleum lotum maximè expers
sit mordacitatis, supra positum est. Caterum quo potissimum modo id probissimè laves, in sequenti tradam opere, quod in-
scribetur de medicaminum compositione, ubi & de Sicyonio, & si quod ejus generis praterea oleum est, agetur: nunc sim-
plicia prosequor, adjiciamque, & de aliis olei speciebus sermonem. Iam quod ex agresti oliva oleum exprimitur, non simpli-
cem temperaturam obtinet, sed extergit, simulque, adstringit. Squalidissimum id est ex omni olei genere, & post Isticum Oleum
sylvestris:
quoque: deinceps illis est Hispanum. Pinguissimum est Libycum, & Cilicium: simul autem pingue, & tenue Sabinum: in
medio comprehensorum omnium sunt tum id, quod per Cyclades insulas nascitur, tum quod per Graciam. Asiamque. Porro
oleum pingue aestimatur, judicaturque, viscositate: tenue vero si perluceat, si purum sit, si plurimum à minima ejus por-
tione inungatur, si facile a cute combibatur. Ex dictis cognoscere jam liceat & de aliis olei generibus, quae equivocè ipsis
dicuntur unguenta, puta à roseo, melino, liliaceo, & quaecunque id genus floribus, fructibus, germinibus, foliis in oleo ma-
20 ceratis conficiuntur. Horum quodque, ubi una cum aromatibus preparatur, unguentum efficitur: pro cuiusque, injectorum
natura oleum variari contingit. Ex his ergo, quae in toto hoc opere de quoque injiciendorum generatim discas, sigillatim
quoque confectum ex iisdem oleum cognoscere dabitur. Quod Greci ἐλαιον, Latini Oleum dicunt, id Arabibus Cait, seu Nomiaa,
Zait nominatur: Italis, Olio: Germanis, Del: Hispanis, Azete: Gallis, Huyle.

Oleum aliud nativum est, seu propriè vocatum oleum, quo in genere continentur ex cujuscunque Oleum
duplex.
Nativum
ol.
Oleae aut oleastri baccis facta olea aliud factitium. Nativum, aut ex sativis premittitur olivis, aut ex sylve-
stribus: si ex sativis, vel ex baccis maturis, vel immaturis. Si ex maturis, tunc nationum & regionum qui-
bus nascitur diversitate, in plures species distinguitur, ut Italicum, Gallicum, Hispanicum: hocque Oleum
commune est. Hoc rursus secundum præparandi modum variat, aut est simplex & impermixtum, sa-
30 lisque expers: aut cum sale præparatum: vel illorum, vel lotum, idque vel ut fiat candidum, vel ut fiat
morsus expers: rursus vel recens & velut mustum, vel antiquatum: & denique secundum inductam
arte alterationem variat, aut enim servatur quomodo ab initio præparatum fuit, aut candidum effici-
tur. Candidum si efficiatur, vel sit simplici affusa & refusa aqua: eaque rursus vel simplici, vel artifi-
ciali, vel etiam additis odoramentis. Si ex immaturis baccis prematur, quod acerbum oleum, vel Om-
phacinum dicitur: cujus differentiae sunt ut & olei communis: ex hoc etiam fit oleum Sicyonium. Si ex
Sylvestris baccis prematur, vel sit ex baccis vulgaris oleastri, vel æthiopici oleastri: vel oleastelli. Facti-
tium in duo etiam genera dividitur, alterum enim simplex est, alterum compositum. Simplicia olea di-
cuntur Galeno 6. simplic. omnia ea quae à foliis fructuum & seminum nucleis, quae pinguem in nucleo,
vel semine, ceu medullam habent, exprimuntur: dicta simplicia, quod illis educendis ac exprimendis,
40 aliud misceri non consuevit, præterquam quibusdam paucillum aquae. Hæc rursus duplicia, alia enim
tantum exprimuntur: alia vero ignis vehementia extrahuntur, ut ex liquoribus, succis, gummatibus, re-
finis, cera, melle, lignis resinosis, aromatibus. Composita fiunt ex simplicibus, ut arborum, fruticum Compo-
sita olea.
& herbarum foliis, floribus, seminibus, aut aliis partibus medicæ vi pollentibus, oleo nativo macera-
tis, ut est Myrtinum, Laurinum, Lentiscinum, Mastichinum & reliqua ejusmodi. Hæc rursus variant,
aliqua enim macerantur, aliqua infolantur, aliqua incoquantur: & quidem vel in oleo nativo, vel alio
oleo. Variant etiam ratione partium plantarum: aliqua enim ex floribus oleo inditis conficiuntur,
idque infolatu, coctionem enim flores non tollant: sic quidam diu, quidam paucio tempore infolan-
tur: ut meliloti, cheiri, sambuci & similes. Quidam validam vim odoris & pluribus diebus constantem
edunt oleo merfi, ut ex rosis, violis, chamemelo, &c. talia olea infolatu tenuiora & utiliora redduntur.
Quædam antequam colentur duplici vase incoquantur: ut anethinum, nardinum, myrteum & id
50 genus. Aliqua denique ex germinibus furculisve: aliqua ex fructibus integris oleo injectis fiunt. Hæc
de oleo: particularim de oleis à Dioscoride propositis, ut & de diversa auctoris lectione, egimus in
Commentariis nostris in librum primum Dioscoridis, quæ suo tempore publici juris faciemus, hic enim
gustum tantum damus.

ἐλαιόμελι.

ELÆOMELI.

CAP. XXXII.

IN Palmyris Syriæ, quod elæomeli vocant, ex quodam cautice manat oleum melle crassius, sapore dul-
ci. Bilem, cruditatesque detrahit sextario cum una aquae hemina dato. Sed qui sumpserit, torpescunt, &
60 viribus deficiuntur, quod minimè vereri oportet, verum crebro excitare, ne veterino pressi somnos cap-
tent. Fit & oleum è pinguetudine furculorum. Optimum vetus, crassum, pingue, non turbidum. Calfa-
cit: privatim caliginibus oculorum illinitur, lepras, nervorumque dolores illitum emendat.

Quoniam quotidie plura, variaque mercimoniorum genera nobis ex Syria convehuntur, Elæomeli tamen (quod sci-
am) non modò non convehitur, sed ne ullum quidem unquam audiri, qui ipsum viderit, vel noverit. Caterum
Hermolaus vir quidem præstantissimus dubitat, utrum elæomeli sit manna, elæomelitis, & aeromelitis, quod mel aëris si-
gnificat, vicinitate deceptus. Quapropter non possum non admirari, doctissimum virum hac in re dubitasse, cum tum latè lapsus
Dioscorides, tum etiam Plinius, quibus cum longam contraxerat consuetudinem, communi sententiâ scribant, elæomeli Hermo-
li, Manna
cententis,
oleum esse è quodam arboris caudice manans in Syria Palmyris, non mel aëreum, neque rorem, qui ab aethere ca-
62 dat.

dat. Eoq, magis, cum addiderit Dioscorides, non modo elaeomeli per se ex arbore manare, sed & sacitium haberi, tuis, expressus, arboris furculus.

Κλινιστ ἐλ. αὐρ.

CICINUM OLEUM.

CAP. XXXIII.

Cicinum oleum hoc modo temperatur. Maturi ricini, qua voles quantitate, torrido sole flaccescunt, & aliorum more cratibus instrati tantisper insolantur, dum vestiens cortex fractus decidat. Caro colligitur, & coniecta in pilam diligenter tunditur: postea in lebetem stanno illitum, qui aquam habeat, demittitur, subiectoque igni fervescunt: & ubi insitum prorsus humorem reddiderunt, sublato ab igni vase, innatans oleum concha tollitur, & reconditur. Sed in Aegypto, ubi largior increbuit usus, longè secus fieri solet: nam repurgatos ricinos molae mandant, & accuratè mollitos per sportulam torculo exprimunt. Tum quidem ematuruerunt ricini, cum continentibus orbiculis exuuntur. Cicinum oleum ad pforas, & ulcera capitis manantia valet: prodest sedis inflammationibus, vulvis conversis, atque praeclusis: item indecoris cicatricibus, & aurium doloribus: emplastra efficaciora reddit additum: potu aquam alvo extrahit: ventris animalia pellit.

Ricini
olei con-
sideratio.
Ricinus
animal-
culum.

Ol. e se-
mine E-
buli.

Ricinum, sive Cicinum oleum, Cherva oleum officinis dicitur, quamvis rarioris sit usus. Namq, semen planta, quam Dioscorides ricinum appellat, Arabum esse chervam, nemo est qui ignoret: quod etiam Serapio pentadactylum vocat, ut diffusius suo loco libro quarto explicabitur. Ceterum ricinus animalculum est sœdum, lividum, & sanguine plenum, quod Italis Zecca vocatur, suibus, canibus, capellis, & id genus animalibus infestissimum. Cui cum hoc semen forma, & colore sit quam simillimum, idcirco Ricini nomen sibi comparavit. Memini huius olei etiam Mesues, qui prater vires ei a Dioscoride redditas, addidit, id valide crassas coercere inflationes. Proinde ventriculi, laterum, colicq, doloribus prodesse illitum, potum, & infusum. Simili fere modo conficitur oleum e semine ebuli repurgato, ad quosvis dolores mitigandos efficacissimum, quod ad rem medicam ornandam & locupletandam nunc edam in publicum, licet diu inter arcana mea id primum habuerim. Semen fruticis siccatum in pila ligneo pilo tunditur in offas, aqua calida adiecta per noctem mace-
ratur, & tandem in lebetem oris lati stanno inductum, positum levi igne coquitur leniter movendo: at ubi a sœdno fervore ictuq, agitatam resumat, & substrato igne refrigit, innatans oleum concha excipitur, & prorsus oleum reddiderit, quod nulla alia ratione, nullove artificio acquiri potest. Idq, oleum ob virorem, a me Smaragdinum appellatum, quod hactenus thesauri loco continui, neq, cuiquam aperire volui, pio in omnes medicina studiosos animo jam effluere sino, hortante Phedrone Rhodocheo, quem ob morum, vitæq, probitatem, insigni doctrina, ac multarum rerum experientia conditam, diligo maximè, dum apud Serenissimas D. D. Magdalenam & Helenam, natas Ungaria, & Bohemia Reginae, magna laude medicinam facit.

Αμυγδαλινον ἐλαιον.

AMYGDALINUM OLEUM.

CAP. XXXIV.

Amygdalinum oleum, quod aliqui metopium vocant, hoc fit modo. Semodius ex amaris nucibus repurgatis, siccatisque, in pila ligneo pistillo leniter tunditur in offas, aquæ, quæ ferbuerit, sextarius adjicitur, & ubi dimidia hora humorem hauserit, vehementius quam antea tunditur: mox tabellis premitur, & quod digitis hæsit, concha excipitur. Pressis nucibus rursus hemina aquæ inspergitur, & postquam ebiberint, idem opus prosequendum: singulas heminas reddunt singuli modii. Contra vul-
varum dolores, strangulatus, conversiones, & eorundem locorum inflammationes efficax est: vitii re-
num, calculosis, difficili urinæ, suspiriosis, lienosisque proficit: dolores capitis, gravitatem auditus, so-
nos incertos, tinnitusque discutit: maculas & vitia cutis tollit e facie: & eam erugat cum melle, radice Iilii, & Cypria cera, aut rosaceo cerato: & oculorum hebetudines emendat: ulcera capitis manantia, & furfures cum vino abstergit.

Amyg-
dalini
dulcis
parandi
ratio.

Myropo-
larum i-
gnavia,
& lapsus.

Mesues.

Amyg-
dalini
dulcis vi-
res.
Amyg-
dalini a-
mari vi-
res.

Cum amarum omnino dulci sit temperandum, delinquere sanè existimarem, si oleum ex dulcibus amygdalis expres-
sum (et si illud Dioscorides silentio involuerit) ex amaris confectum non adjicerem, rectumq, conficiendi modum non
explicarem: præsertim cum nostra ætatis medicis maximo sit usui, & pauci sint myropola, qui ipsum rectè probeq, confi-
ciant. Parandi igitur rationem (ut Mesues tradidit) sic habeto. Præstantiores, dulcioresq, amygdala, qua lubet quanti-
tate, ab utrisq, corticibus repurgata, optimè in lapideo mortario tunduntur, & in loco calido reponuntur, quinq, horarum
spatio: deim parum iterum coniunduntur: mox prælo tam diu premuntur, quousq, omne, quod continent, effluat oleum.
Elicitur etiam hoc modo. Collocantur delibrata, contusaq, amygdala in vitreo, vel stanno vase, infunditurq, vas in bal-
neo calenti aquæ: eximitur deinde tribus peractis horis, extrahunturq, amygdala, & statim prælo calentes subjiciuntur:
itaq, oleum copiosius excipitur. Trita rursus amygdala, & repurgata, in sacculis panno duplicato involutis, sub arena
cinerève calido reconduntur, & postquam effervuerint, prælo oleum elicitur. Sed nostrates seplasiarii plurimum negli-
gentia segnitieq, indulgentes, non modo amygdalas non repurgant, neq, delibrant, sed & amaras, & rancidas commi-
scent, & omnes simul conterentes, in aream cacabum injiciunt, igniq, admovent affuso aquæ tantillo, ne penitus torrean-
tur: deinde in sacculum conjiciunt, & prælo submitunt, & quod inde fluit oleum excipiunt: quod plerumq, exustionis
nidorem tantum obolet, ut haurientibus illico vomendi pariat nauseam. Qui autem sic parant oleum amygdalinum, 60
ejus lenientem facultatem pervertunt, ac destrunt: siquidem contusis amygdalis non delibratis, oleum inde confectum
corticum vires asservat: proinde & constipat, & exasperat, & scabritiem inducit: id quod etiam adauget ignis violentia,
dum in lebetibus amygdala torrentur. Hoc itaq, diligenter animadvertens optimus Mesues, Amygdalini facundi ratio-
nem prodidit, ut videlicet, cum purgata contusaq, essent amygdala, calore quodam suavi ac lento leniter calefierent, sicut
diximus, non autem carbonibus ardentibus, quemadmodum hodie ii faciunt myropola, qui etiam alia pleraq, consundit.
Amygdalinum igitur, si rectè probeq, conficiatur, mirificè lenit: quare potu ad libræ dimidiū, alvum leniter dejicit: asperæ
arteriæ, pulmonis, ac pectoris scabritias tollit: duritias omnes emollit: & compaginū, & membrorum omnium siccitates hu-
meat, quocirca heclicis plurimum conducit. Contra vulvarum dolores illitum & potum facile præstat, sicuti resica: cru-
ciatib, est efficax: si argentæ fistula coniectū impulsorio instrumēto injiciatur. Quod autē ex amaris amygdalis exprimitur,
dulci

dulci in omnibus efficacius habetur: idcirco in provocandis lapillis, conciliandisq; viscerum cruciatibus à flatu crassiore genitis, dulci longè præstantius reperitur. Nimirum & obstructiones aperit, & interaneorum tineas enecat.

Βαλανίνιον ἔλαιον.

BALANINUM OLEUM.

CAP. XXXV.

Simili modo fit Balaninum oleum. Quod repurgat maculas, lentigines, varos, & cicatrices nigras: alvum solvit, stomacho adversatur: contra aurium dolorem, sonos, & tinnitus auxilio est, cum anferino adipe instillatum. Similis sesaminum ex sesamo conficienduratio. Fit etiam è nuce juglande oleum, quod carinum vocant: eandem vim habet, quam balaninum.

Antiq.
cod. se-
parat ab
invicem
hæc tria
capita.
Balanini
consider.

¹⁰ Oleum unguentaria glandis, quod Balaninum vocant, à pharmacopolis & unguentariis oleum de Ben appellatur: quoniam myrobalanum, quod Latini unguentariam nucem dicunt, ex qua hoc conficitur oleum, Mauritanii Ben appellant, ut latini libro quarto differemus. Consimili modo id Mesues fieri tradit. Et (ut idem etiam est auctor) abstergit mundat, & obstructiones aperit: illitum strumas dissolvit, duosq; tumores. Frigidum jecinoris, tum lienis affectibus opem mirifice præstat: facit & ad frigidas nervorum convulsiones, & compaginum cruciatu. Sed illud sibi peculiariter adscribit, quod etiam si diu veterascit, haudquaquam rancidum evadit: ideoq; unguentariis expetitur ad suavisima odoramenta excipiendâ, præsertim cum moscho, & ambrachirothecas illinant: quo fit, ut nullo temporis tractu rancorem unquam respiciant, ut facile eveniret, si alio quovis oleo eo in opere uterentur. Quamobrem mirari non licet, si veteres fructum, à quo elicitur hoc oleum, glandem unguentariam nominaverint. Sesaminum verò (ut Mesues inquit) amygdalini modo exprimitur. Quippe sesami repurgatum semen primò contunditur, deinde eodem artificio calefactum pralo supponitur, tandiuq; premitur, quousq; oleum reddat. Id (ut idem testatur) pingue ministrat alimentum: semen adaugget, asperitates quascunq; lenit, sed præcipuè gula vocem expedit, & dura apostemata mollit. Adjicitur Sesaminum plerumq; unguentorum compositionibus, quorum in officinis est usus. Verum quod è Juglandibus nucibus elicitur, nullius in medicina usus esse reperio, etsi lucernis, & lampadibus, qui parsimonia student, id maximopere expetant, quippe ignis funiculo non tam citò consumitur, quam id, quod ex olivis paratur. Præfertur etiam pictoribus eo, quod è Lini semine exprimitur: siquidem hoc cerussa admixtum evactu temporis colorem immutat, illud verò incorruptum perpetuò asservat.

Balanini
faculta-
tes.

Sesami-
num &
ejus vires

Oleum è
nucibus
juglan-
dibus.

Υψοκυσμίνιον ἔλαιον.

HYOSCYAMINUM OLEUM.

CAP. XXXVI.

³⁰ Hyoscyaminum sic fit. Semen candidum recens ac siccum tunditur, & calida aspergitur aqua, ut in amygdalino diximus: dumque insolatur, siccatae, quæ sub manu sunt, partes cum reliqua massa permisceantur: hoc autem fieri oportet, dum nigrescat, & graviter oleat: mox pressum, atque excolatum reconditur. Ad aurium dolores efficax est: pessis miscetur, ad emolliendum utile. Fit & è grano gnidio purgato, & tuso. Visei alvum solvere potu. Non secus enicinum oleum temperatur, cui facultas eadem est quæ factò è gnidio grano, verum invalidior. Raphaninum è raphani semine fieri solet, cæterorum more. Phthiriasis mala valetudine contractas tollit: scabritias cutis in facie emendat. Ad obfonia utuntur Ægyptii. Melanthinum idem, quod raphaninum potest, eodemque modo paratur. Tritum sinapis semen, [& calida aqua] madefactum, adjecto postea oleo exprimitur. Id ad diuturnos dolores efficax est: transfert humores, qui in aliqua parte concreverunt.

Υψοκ.
Υψοκ. i.
aqua fri-
gida leg-
antiq.
cod.

⁴⁰ Tamen si perpauci reperiantur medici, qui Hyoscyaminum oleum noverint, ne dum in usum receperint unquam, ego tamen id ipsum pluries confeci. Siquidem ad tollendos omne genus dolores, ubi cætera præsidia non juverint, efficacissimum est medicamentum, præsertimq; inflammationibus pudendorum utriusq; sexus. Item acutissimis aurium doloribus medetur cum castoreo, vel croco instillatum. Prohibet præterea gonorrhæam, renibus & testibus illitum. Mensum exuperantiam cohibet, & albicantia uteri profluvia, tum pubi & lumbis perunctum, tum pectus infusum. Mammis à partu inflammationis utiliter illinitur. Dentium dolores mirifice mulcet, si tepidum in ore contineatur. Pilorum exortum admodum retardat, aliis quibusdam additis: ita ut evulsi pili integro anno non renascantur, si eodem depilata loca sæpius perungantur. At ipse in eo faciundo Dioscoridem minime secutus sum, sed aliam parandi rationem adinveni, quæ hæc est. Sumo novum, siccumq; hyoscyami semen, tundito deinde, ponitoq; in stanneo, vel vitreo vase, ardenti aqua, quæ è vino fit, parumper prius affusum. Huiusmodi ponto vas in calenti aqua balneo die ac nocte, demum adhuc fervens succulis imponito, & pralo subiecto, sicq; oleum habeto. Quod autem è grano Gnidio, quod rustici Ananienses montanum piper appellant, paratur, recessit hoc ævo à medicorum usu, eo quod in deiecienda alvo violentissimum sit medicamentum, rusticis tamen aptissimum, cum sæpius, ne medicos consulant, coccum Gnidium devorent, quo etiam sæpius morte occumbunt. Porro Enicinum (ut Mesues inquit) potum aqua intercutit laborantibus, viscerum obstructionibus, ventriculi, & coli cruciatibus à flatuositate genitis, efficax est. Suspiriosis mirifice prodest, & vocem clarificat. Epotum pituitam tum vomitionibus elicit, tum per inferna ducit. Raphadinum præterea, & Melanthinum aboleverunt, sicuti etiam Sinapinum, etsi ubi ad summum excalfacere opus fuerit, maximam opem præstare valeant. Sinapinum verò non nisi collachrymantibus oculis exprimi potest: tanta enim est vaporis acrimonia, ut concepto vapore, illico prodeant lachrymæ. Miscetur quandoq; cum eo, quod è pistaceis nucibus elicitur: perungunturq; eo genitalia in frigidis, ut felicius coeant, addito lasere, & moscho.

Hyoscy-
aminum vi-
res.

Hyoscy-
aminum pa-
radioratio.
Gnidium.

Enicinum.

Rapha-
ninum.
Melan-
thinum.
Sinapi-
num.

Μυρτείνιον ἔλαιον.

MYRTEUM OLEUM.

CAP. XXXVII.

⁶⁰ Myrteifaciendi ratio hæc est. E myrto nigra, sylvestri, aut sativa, foliorum mollissima quæque tusa premuntur: succo pares omphacini olei portiones adjiciuntur, subjectisq; carbonibus infervescunt, donec concoquantur: innatans oleum deraditur. Sed longè facilior hæc compositio. Tenera folia contusa coquantur in oleo & aqua, & quod innatat, eximitur. Privatim alii dejecta in oleum folia in sole macerant: alii prius oleum inspissant malicorio, cupressio, cypero, & junco odorato. Efficacius est amarum gustu, & oleosum, viride, translucens, & olens myrtum. Astringit, & indurat: ideo medicamentis miscetur, quæ cicatricem obducunt: prodest ulceribus in capite manantibus, ambustis igni, & papulæ-

G 3

rum

rum eruptionibus. Facit ad attrita, & furfures, sedis rimas, condylomata, articulos laxatos: corporis sudores compescit: & ad omnia valet, quæ astrictiōem, inspissationemq; desiderant.

In myr-
teo offi-
cinarum
lapis.

Myrteum myropola ferè omnes non quidem ex tenellis myrti frondibus, Dioscoridis more, conficiunt, sed è fructibus tantum, nulla servata parandiratione. Quandoquidem myrti baccas contundentes, oleo, nigroq; vino immiscunt, & in aneum cacabum transferunt, subduntq; (ut citius opus expediant) ignitos carbonēs, ibiq; tamdiu inservescere sinunt, donec vinum totum absumatur: mox ab igne tollunt, percolant, & asservant. Neq; animadvertunt conficiendi regulam à Mesue explicatam, siquidem in calentis aqua balneo, non quidem violento carbonum igne Myrteum parari jubet: ex oleoq; omphacino fieri, non (ut ipsi parant) ex maturis olivis expresso. Namque, ut balnei humenti, ac leni calore olei compositio mirifice digeritur, ac ejus omnes conservantur partes: sic contra violento igne subdito pervertitur, & destruitur tota rei compositio. Sed quoniam reipublica beneficio (ut etiam ab ipso exordio pollicitus sum) decrevi non pratermittere quicquam, quo errores, qui indies contingunt, è medio tollantur, dico, oleum omne quod officina ad medicamentum usurpant (illud excipio, quod ab arborum resinis stirpiumq; aliarum gummi, vitreis organis per sublimationem, ut chymista vocant, elicitur) vase vitreo, vel saltem stanneo in balneo calentis aqua fieri debere: & inibi primum impositum imponendis tribus diebus macerari: post tertium verò diem expressu cunctis prius impositum, & recentibus infusis pari temporis spatio, eodem in balneo, eadem macerari. Itaque tamdiu opus prosequendum, donec sibi oleum amplissimas exceptorum medicaminum comparaverit vires. Verum ingens hominum lucri aviditas, aurig, ingluvies, ut admodum superlucrentur, arcamq; auro ad summum usque impleant, non patitur myropolas necessarium tempus impendere ad medicamentum exactè paranda: eos, inquam, qui continue magis crumenis intendunt & inhiant, quam ut vitæ egrotantium sat agant. Probitamen, & diligentes hæc mea verba boni consulant, hi verò mali errores emendent suas. Idcirco Myrteum oleum, quod myrti præstantiam ad plenum referat, hoc modo temperatur. Sumito fructuum myrti libram, foliorum ejus recentium uncias decem, vini nigri adstringentis libras duas, olei omphacini libras quinq;: deinde contusis baccis ac foliis omnia oleo excipito, & vase vitreo, vel stanneo reposito, tectoque, vasis ore in balneo calentis aqua immergitur. & post tres dies extrahito, ac percolato: rursus assumptis recentibus baccis, foliis, & vino, ut antea oleo exceptis, in eodem balneo omnia recondito ad tertium usq; diem. At postremo vasis ore detecto, tandiu id apertum simo, donec balnei fervore vinum totum exiliat, & oleum tantum remaneat. Nec audiendi sunt ii, qui Dioscoridis testimonio, aneo cacabo (ut supra dictum est) substratis carbonibus Myrtinum conficiunt: quippe Dioscoridis tempore ars medica non adeò exulta erat, quin nec seplasiaria, ut nostra hac ætate esse visitur. Quamobrem putandum, quod si hujus balnei artificium Dioscoridi innotuisset, ipsum haudquaquam silentio præterisset, veluti nec illud Mesues, nec alii complures præterierunt, qui summo studio & diligentia medicam facultatem excoluerunt & in ordinem redegerunt.

Myrti
parandi
ratio.

Λάρινον έλαιον.

LAURINUM OLEUM.

CAP. XXXVIII.

Laurinum fit hoc modo. Lauri baccæ cum maturæ sunt in aqua coquuntur: siquidem ex obducto cortice quandam pinguitudinem reddunt, quæ manibus subacta, concha excipitur. Alii omphacinum prius oleum cypero, junco odorato, & calamo inspissant, deinde tenera lauri folia concoquunt: alii etiam baccas, donec oleum odorem contraxerit: alii styracem, & myrtum addunt. Optima laurus ad id latifolia, & montana. Oleum laurinum utilius, quod recentius, quoque viridius colore, amarissimum, & acre. Vis ei excalfactoria, emolliens: venarum spiracula aperit, lassitudines discutit: omnibus nervorum vitiis, algoribus, destillationibus, aurium doloribus, malis renum frigore contractis, illitum, non aliud juvantius: attamen potum nauseam parit.

Laurini
confider.

Laurini
vires ex
Mesue.

Laurini conficiendi rationem aliter à Mesue institutam legimus, sed tamen ab hac parum recedentem, ideoq; quod id parum vel nihil referat, rem ipsam silentio prætereundam duximus: præsertimq; quod non me latet, Laurinum, cujus est usus in officinis, à seplasiariis nequaquam fieri, sed ab aliis confectum emi, qui lecta magna lauri baccarum quantitate ipsum eliciendi artem exercent. Mesues præter facultates à Dioscoride traditas, id summè laudavit & ad jecurioris dolores, & ad hemicraniam, quæ frigidis contrahitur succis: quin & ad ventriculi dolores, coli, vulvæ, & lienis eflicax esse tradidit.

Ξένισκινον έλαιον.

LENTISCINUM OLEUM.

CAP. XXXIX.

Similis Lentiscini ratio: nam è maturo fructu temperatur, factis prius spissamentis: ut in laurino diximus. Hoc scabiem jumentorum, canumque sanat: utilissimum pessis, acopis, & leprarum medicamentis: sudores cohibet. Nec secus Terebinthinum fieri solet: quod † refrigerat, & astringit.

Lentisci-
ni paran-
di ratio.

Lentisci-
ni vires.

Terebin-
thini cō-
sideratio
& vires.

Lentiscinum pluribus in locis Hetruria conficitur, sed præsertim in agro nostro Senensi, Ilua, & Gilio Tyrrheni insulis, non longè à continenti nostra distantibus. Fit autem ab incolis hoc modo. Racemosas lentisci baccas assumunt, & à putaminibus cunctis expurgant, permittuntq; aliquot diebus simul flavescere: deinde magnum in ahenum collocant, affusa aqua: & igni tandiu servant, donec bacca dehiscant: demum eas extrahunt, & succis includunt præloq; subiciunt, expressuq; asservant oleum. Quod & quibusdam Adriatici insulis hæc similiter ratione confici audio, absq; alterius cuiusvis olei admixtulo: siquidem fructus is per se olei satus emittit. Incolæ (ut experimento comprobatum affirmant) ad acuendam oculorum aciem, caliginemq; delendas, illud cibi commiscunt. At ego eo sæpius usum sum magno sanè juramento in dysentericis, non quidem potu exhibitio, sed clysteribus infuso. Lentiscinum summis laudibus extulit Galenus libr. v. de comp. medic. secundum locos, ad gingivarum, & lingua inflammationes, si os eo colluatur. Quod autem sit è fructibus terebinthi, quos Mauritanii grana viridia nuncupant, non sit in Italia, neq; ad nos (quod equidem sciam) aliunde convehitur: proinde non venit in usum. Hoc tamen (ut Mesues inquit) vulnera consolidat: medetur item convulsis, opisthotonicis, nervorumq; duritiis, & creberrimè cataplasmati admiscetur. † In his verbis mendum subesse putamus, ut etiam doctissimè adnotavit Manardus Ferrariensis libr. v. iii. epist. prima. Alias siquidem sibi ipsi repugnasset Dioscorides, cum scripserit in Terebinthi mentione, ejus fructum excalfacere, hic verò dicitur.

ro dicatur oleo ex eisdem parato inesse refrigerandi facultatem. Huic depravat a lectioni illud quoque, refragatur, quod sint nobis Græci Dioscoridis codices, in quibus verba illa de Terebinthini olei facultatibus non leguntur, sed de ejus tantum conficiendi ratione mentio habetur.

Μαστίχινον έλαιον.

MASTICHINUM OLEUM.

CAP. XL.

Mastichinum è trita fit mastiche. Quod contra omnia vulvæ mala efficax est: mediocriter calfacit, astringit, & emollit. Adversus prominentes stomachi duritias, celiacorum, dysentericorumque cruciatus utile: faciem emaculat, & colorem nitidum facit: optimum in Chio insula componitur.

Mastichini parandi rationem, sanè quàm paucis Dioscorides perstrinxit, quippe trita tantum Mastiche fieri tradidit, nulla alia explicata conficiendi ratione. Sepplasiarii autem nonnulli prorsus obliti, scripsisse Mesuem in balneo calentis aqua Mastichinum confici debere, communi oleo, albo vino permisto, mastichen admiscerent, & æreo vase carbonum igni admovent, ibique, tanto tempore effervescente sinunt, quoad vinum prorsus exiliat, ac inde usui asservant. At ipse vitreus organus è purissimo tantum mastiche illud sapius confeci.

Sepplasiarii
rurorum
lapis.

Μίγρον σύνθεσις.

UNGUENTORUM COMPOSITIO.

CAP. XLI.

DE ratione unguentorum consequenter tractandum existimavimus, quandoquidem ea in nonnullis corporum vitiis, aut medicamentis mista, aut corpori perfusa, aut naribus objecta, plurimum profunt: in quorum probationibus consulere nares oportet, an ea oleant, ex quibus temperantur. Optimum hujuscemodi judicium, quod tamen in quibusdam planè observari non potest, propter ea, quæ admiscerentur, odore cæteris prævalentia: ut in amaracino & crocino, telino, & plerisque aliis, quæ crebra circa hæc meditatione experiri conveniet.

Unguenta, ab utendi modo, Græcis *μύρα* fortè à Myrrha: quo nomine veteres pretiosa unguenta ex odoramentis confecta appellabant: hodie verò quæ ex oleis, speciebus quibuscunque & cera componuntur, ita vocantur: at hæc non simpliciter *μύρα*, sed myracopa dicenda, quoniam similia sint acopis. Primus censetur Archilochus *μύρα* nomen unguentis imposuisse, siquidem vetustissimus Homerus licet unctionum frequenter meminerit, attamen oleum, non Myron appellavit: sic quo ungebantur à Moysæ sacerdotes, non unguentum sed oleum sanctum vocant. Et licet opinio sit, primum unguentum ex Bryo seu musco & balanino oleo confectum fuisse, attamen oleum sanctum, de quo Exodi 30. & apud Josephum lib. antiquit. 3. cap. 13. primum statuendum, quod ex præstantissimis odoramentis conficiebatur, utpote ex myrrhæ spontè fluentis, quingentis siclis: cinnamomi aromatici, 250. & calami aromatici tantundem, calisæ verò quingentis, secundum siclum sanctuarii: & olei de olea Hin, id est duobus cois Atticis, unguentum opere unguentarii conficiebatur: quo & sacerdotes, & tentorium conventionis, arca testimonii, mensa & omnia instrumenta ejus ac reliqua vasa illita purgabatur. Unguentorum licet duo constituerit genera Iesius libello de odoribus, alterum deliciarum quod *χρίμα* seu *χρίσμα* dicitur: alterum promiscuum & ferè palæstris dicatum, quod *αλειμμα* cognominatur: tria tamen constituemus summa genera: unum ad luxuriam: alterum ad necessitatem: tertium ad salubritatem. Ad luxuriam, apud Græcos, Perfæ & alios cultiores Orientis populos, quotidianus erat in conviviis usus, quare cum bellariis & corollis, secundis mensis inferebantur: quibus convivarum capilli & barbæ ungebantur, de quibus Athenæum consule. Et licet Solon, cum hæc ad lasciviam veneris facere animadverteret, unguenta Athenis divendi vetuerit: sic Socrates apud Xenophontem ut meretricium accusarit: sic Lacedæmonii unguentarios civitate expulerint, eos oleum corrumpere distitantes, attamen hac ætate plurimi & ambram & moschum ad fastidium olent. Ad necessitatem erant ea quibus certantes utebantur & palæstrarum corpora inungebantur. Ad valetudinem tertium genus facit. Dioscorides auctor est, ea aut medicamentis mista, aut corpori perfusa, aut naribus objecta, in quibusdam corporum vitiis plurimum conferre. Hæc autem nunc usitata ex tribus conficiuntur, oleo, speciebus & cera: oleis adjiciuntur adipēs, butyrum & mucilagines: nonnunquam gummata & lachrymæ his quoque miscentur. Species seu pulveres pro affectuum diversitate variant. Cera additur, ut convenientem consistentiam unguenta nanciscantur: ita tamen plerique conficiunt ut ad oleorum 3. 1. specierum 3. 1. ceræ 3. ij. admisceant: At cum unguenta æstate plus ceræ, hyeme minus requirant: sic interdum firmitus & diutius, interdum contra, corporibus adhærere velimus, consultius ut componentis judicio liberum relinquatur. Galenus 4. de sanitate tuenda, ceræ quartæ parti, resinæ duodecimam immiscet, sic enim non solum pulcherrimum sed etiam quod bene adhæreat unguentum fieri: idem habent Oribasius in unguento ex Euphorbio, & Aegineta lib. 7. cap. 17. Concludentes dicimus unguenta quæ in Pharmacopoliis habentur, assumpta antiqua unguenti significatione, unguenti nomen non mereri, sed potius esse apud veteres olea composita, cum plerumque nullam odore fragrantiam habeant. Dioscorides verò ea proponit quibus corpora irrigantur & ex quorum olfactu vires animales (hic rursus ipsius Methodus notanda) recreantur, & quod aliis medicamentis hæc misceri soleant. Unguenta verò quæ ad voluptatem & luxum faciunt, in totum Dioscorides omittit, tanquam indigna quæ inter remedia salutaria proponantur: de quibus multa Plinius lib. 13.

Unguenti
primi
confectio.Unguentorum
genera
tria.Unguenta
usitata
ex quibus
conficiuntur.Olea composita
veterum.

Ρόσάκων.

ROSACEUM.

CAP. XLII.

Rosaceum sic fit. Junci odorati quinque libras & bessum tundito, & subactas aqua in viginti olei libris & quincuncem, subinde movendo, coquito: dumque percolaveris, in olei libras viginti, & quincuncem, adjicito rosas non madefactas numero mille, & manibus melle perunctis identidem movero, interbet.

G 4

interbet.